DEO OPTIMO MAX.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo secundo mensis Martii, anno Domini M. DCC. LIII.

M. MICHAELE-JOSEPHO MAJAULT, Doctore Medico, Præside.

An Junioribus, ex Seniorum cohabitatione, *detrimentum?*

I.



VITA nihil pretiosius accepimus. Hac ineunte cursum init pariter sensus, gaudium excitatur, affulget felicitas. Divinum est jubar, quo exoriente, tenebræ nihili discutiuntur, dies æterna invehitur, bonorum omnium fontes aperiuntur, præsentia habentur, futura sperantur, utrisque animus jucundissimè afficitur. Singulas vitæ descriptiones intuere; nihil in iis invenies non jucundissimum. Ut lactanti matri, sic procreanti naturæ carissimus infans, summis ejus muneribus ornatus totus est lepos, nondum amans, jam amatus. Juventuti omnia leniter aspirant: formæ venustas, oris dignitas, ingenii præstantia, menti omnium rerum studiosæ campum aperiunt ubique decursu facilem: graviorem ætatem graviora sequuntur. Tunc homo vir factus magna & præclara molitur, suscipit, exequitur, terrisque subactis dominatur; dùm senex animos dictis demulcet, dirigit, hortatur, persuadet. At hæc eadem vita, unde tot commoda dimanant, & quâ nihil simplicius videbatur, dividitur tamen, alteraque pars nostri, primus existentiæ hospes corpus, mox existentiâ mulctatur. Nihil illo fragilius; ut in homine, compositione incredibili, cum robore conjungatur imbecillitas, cum magnitudine humilitas, cum faustitate calamitas. Animal cæteris imperaturum, omnium nascitur infirmissimum, & extinguitur facillimè. Qui numinis æterni refert effigiem, sævis motibus animi depascitur; quem summa manet felicitas, perpetuus quoque angit ejus admittendæ metus. Ei præsentem mortem omnia intentant: ei terra pedibus calcanda, circumfusus aer, adjuncti homines, bestiæ quæ famulantur, omnia periculo plena: vigiliâ fatigatur, obruitur somno, labore deteritur, quiete languescit, dolore exeditur, voluptate conficitur, inediâ deficit, ciborum onere corruit oppressus, vel propriis ruinis collabitur, vel ipsâ reparatione fatiscit, & seu malo, seu remedio labefactatus, semper & ubique stat in præcipiti. Quovis anni tempore, quâvis cæli temperie, sua singulis ætatibus impendent fata. Nec est quod adolescentes, aut juvenes suæ credant nimiùm ætati; nam præter mala superiùs recensita, hoc etiam incommodius cum eis agitur, quod, quanquàm abest omnis morbifica materies, sanitas in iis vel comminui vel planè aboleri potest, modo aliquandiù propiorem seniorum vicinitatem patiantur; cujus quidem rei causa in iis affinitatibus indaganda est, propter quas omnia corpora similium sui adeo appetentia sunt, & per eas facilè detegitur. Sed quoniam hanc vim affinitatis nonnulli impugnant sin minùs ut fictitiam, saltem ut occultam qualitatem à verâ physicâ exulandam, huic priùs principii autoritatem conciliemus necesse est, quàm eam adhibeamus.

II.

DARI affinitates inter corpora compertum æquè eſt ac lumen exiſtere. Nullum eſt elementum, nullum animantium genus, nulla vegetantium ſpecies, quæ non in eandem veritatem ſtabiliendam veluti conſpirent. Omnia parent affinitatis legibus, ubique adeſt affinitas. Eâ præeunte, animantia eſcas ſibi idoneas appetunt, & vitæ & propagationi conſulunt ſuæ; terrenos ſuccos ſeligunt atque exprimunt arbores; mobiliſſimum elementum ignis quidquid nanciſcitur invadit, & nititur ditionis ſuæ facere, dum terra cuncti-parens cuncta viſceribus ſuis amplecti & retinere gaudet, natis de ſe hominibus non abſimilis, qui ut quid habent cariſſimum, ita conjunctiſſimè uniri cum eo, atque commiſceri ſtudent. Nec animantibus ſolùm, ſed & cuilibet ſubſtantiæ proprii motûs participi hoc ingeneratum fuiſſe videtur, ut in majus creſcere geſtiat; quidquid huic ſuæ amplitudini favet, hujus amantiſſima ſit & tenaciſſima; quidquid nocet fugiat atque reformidet. Itaque ut Ethicus mundus, ſic Phyſicus utroque iſto vertitur cardine amore & odio. Unde hoc factum putas, niſi ab affinitate? In pluribus ejus exemplis commemorandis non immorabimur. Chymia, Phyſica, Natura tandem univerſa eam nuſquam non indigitant, & omnes Philoſophi variis appellant nominibus. Hæc eſt divina illa vis, quâ corpora reguntur, ponderant, manent, intereunt; cui orbis totius credita cura, mandatus ordo, commiſſa ſalus; fatum illud ineluctabile, cujus in ipſos Ethnicorum deos imperium fuit; dulciſſimus ille ſiderum concentus, quo ſtupebat priſca Pithagoricorum ſecta, & exultabat mirabunda poëſis; decantata illa ſympathia, quam explicandis omnibus phænomenis præficiebant; Naturæ horror à vacuo; Platonicus ille exiſtentiæ cujuſlibet & formæ Prototypus; ea denique Virgiliana, quæ

totos diffuſa per artus

Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Jam verò eam affinitatem inter principia recenſeri quid vetat? Hoc quidem extenſioni materiæ, impenetrabilitati, diviſibilitati, elaterio, ideò tributum eſt, quod, cùm eæ qualitates intelligerentur ad omnem materiam pertinere, nihil illis generalius occurrebat, unde cauſa peteretur phœnomeνῶν. Sed affinitas non patet minùs latè, quoniam omnia corpora complectitur, ut ſuprà diſputatum eſt: nec etiam minùs nota, nam nemo magis extenſionis cauſas poteſt aſſequi cogitando, quàm affinitatis. Itaque ut in quâlibet materiæ portione extenſio, ſic affinitas eſt, eo tantùm diſcrimine, quod non in omni materiæ portione ſit affinitas cum aliâ quâlibet, ſed cum certâ tantùm materiæ portione; quod nihil de hujus principii univerſalitate aut certitudine detrahit, eòque minùs, quod ſæpè alia principia nequicquam invocantur, præſertim in corpore humano, in generatione, v. g. in partium nutritione, in ſecretionibus, &c. quæ cùm omnibus perſpicua ſint, hoc innixi principio corporis humani ortum & incrementum jam explicabimus, ut clariùs ejus labes illuceſcat.

III.

MATERIA duplex eſt generatim, alia quidem rudis & indigeſta moles, cujuſvis motus, formæ & ordinis expers & inappetens, ſed omnis formæ & omnis ordinis ſubjectum, quâ nihil notius: plurimas ejus ſpecies eſſentiâ ipſâ inter ſe diſcrepare confirmat integritas multarum ſubſtantiarum, omni arte, omni inſtrumento oppugnatarum, nullâ ratione ſuperatarum. Alia verò tenuis, levis, agilis, fluida, circumquaque diffuſa, continuo motu agitata, variis nominibus formæ ſubſtantialis, naturæ plaſticæ, materiæ ſubtilis, *Electrica*, auræ vitalis, animalis ſpiritûs, &c. deſignata, atque ideò quoque notiſſima; penès quam ſunt vita, forma, diuturnitaſque corporum. Quæ quidem qualitates non ipſimet auræ vitalis indoli tribuendæ ſunt, ſed diverſis ejus cum materiâ rudi affinitatibus. Ubi enim certa vitalis auræ quantitas, certas nacta eſt materiæ rudis portiones ſpecie quidem diverſas, ſed quibuſdam rationibus inter ſe conve-

nientes, sic eis sese applicat & adjungit, ut aliis motu agitatis, aliis immotis & circumquàque velut excubantibus, in totum certâ ratione connexum, hæc omnia coalescant. Hic sanè est corporum omnium ortus sive ad mineralem, sive ad vegetabilem, sive ad animatam prosapiam pertineant. Nihil non à semine, aiunt. Esto quidem, si hoc nomine appellent prima hæc, quæ posuimus, corporum rudimenta. Sed si seminis nomen ita contrahant, ut materiei cujusdam à duobus individuis sexu dissimilibus emissæ proprium sit, contra experientiam faciunt, quâ constat ex aliorum corporum ruinis alia exsurgere, ita ut medias inter turbas aliquid tamen supersit ordinis, juxta legem à naturâ sancitam, ut quod nocet aliis, aliis prosit. Et sicut nihil ab omni parte beatum, ita vel potiori jure nihil omnino miserum sit;

Hoc primo motu semel incœpto, singulæ rudis materiæ partes animatæ, & pro eâ quâ valent affinitate, apto situ inter se collocatæ, mox alias sui similes desiderant, inquirunt, adducunt. Quid mirum? Vividas vires inertiæ viribus prævalere quis nescit? Qui appetitus tantò vehementior vel languidior est, quantò robustior vel debilior rudis materiæ natura, laxiùs auræ vitali remittit habenas, aut adducit strictiùs. Hinc infinita penè mineralium diuturnitas, hinc longævitas arborum & animalium brevitas; etenim auræ vitali necessarius est motus, perpetuò anxia quærit, agitatur, perpetuò nititur in majus. Quamobrem partes animalium quæ illi faciliùs morem gerunt, utpotè debiliores, omnium sui similium fiunt voracissimæ, atque etiam æquo voraciores; cujus quidem voracitatis exempla non desiderantur. Sic enim, sed veriùs dicam, inde fit ut stomachus nimiâ ciborum copiâ sese amet ingurgitare; ut cor pleniori sanguinis congestione turgidum, evomere illum cogatur; ut glandulæ, plures æquo succos attrahant, hinc posteà sub novâ formâ excernendos; at dum sic quodcumque valent, rapiunt animalium corpora, nimio materiæ rudis onerantur affluxu; aura vitalis onere tanto fatigata licet non satiata labascit.

Jamque venit tremulo tarda senecta gradu.

Sic imperii Romani moles, omnibus aliis absumptis, magnitudine laborabat suâ. Hic rerum status senibus est gravis, juvenibus infestus, utrisque aliquando luctuosus, quod mox planè perspicietur.

I V.

EATENUS igitur senescimus, quâtenus nimiâ materiæ rudis quantitate congestâ, & exhausto humore vitali, organa exsucca, flecti nescia, solitos motus commodè ciere nequeunt. Detrimentum est in ratione compositâ auctæ materiæ rudis, & imminutæ auræ vitalis. Quidquid delicatius & exquisitius mensis suppeditant & vasti marium tractus & silvæ profundæ, casum ruentis corporis non potest remorari: purioribus & amicioribus illi succis opus est: itaque eorum fit rapacissimum, non secus ac humus Sirii furentis ignibus, vel penetrabili frigore adusta, arescit & languet, siccisque glebis morantem pluviam fert impatienter, & cadentem bibit celeriter. Ætas autem junior humore vitali scatet, & veluti diffluit, vix tantæ abundantiæ capax, quod indicant illius impetus, fervor, agilitas, impatientia. Si igitur seniori accubuerit Juvenis, aut nimiam ejus proximitatem aliquandiu tulerit, hic quidem ab eâ, quod sibi deest recipiet, deficientem in se, redundante in eâ, vitam reparabit, & indelibatis illius opibus, jam absumptas recreabit facultates, adjuvantibus scilicet iis affinitatibus, quarum ope appetit & prosequitur quidquid in sua commoda cedere aptum est, & eâdem ratione quâ frigidum corpus à vicino calente caloris partem sibi vindicat. At illâ peste, nihil tetrius est, nihil succorum circumeuntium æquabilitati infensius, nihil floridi decoris venustati, nihil partium nutritioni, nihil actionum sanitati. Concidit subitò juvenile corpus, effœtum, exsangue, iners, exanime; fugit enim tandiù senior, donec in utroque corpore fermè æquiparetur aura vitalis. Nec hujus rei conjectura facta est. Res argumentis tenetur & experientiâ. Quotidie enim animadvertitur ex hac accubatione

diſpari, ſenes quidem novâ alacritate, novo vigore refloreſcere, juvenes verò emaciatos toto corpore deficcari, cute liveſcere, anhelâ tuſſi fatigari; nonnullos infantes ipſas nutricum blanditias vitæ mercede perſolvere, plurimoſque homines qui hæreditatis proximè venturæ magnitudine illecti, conjuges duxerant natu grandiores, & ſpes & vitam ſæpiùs cum morte commutare, quemadmodum ſurculus ab arbore vicinâ extinguitur, aut ſicut fieri videmus ut ea maturiùs extinguantur animantia, quæ pluribus natis vitâ donandis ſuam impenderunt. Nec ita pridem graviſſimis pœnis in quamdam mulierem animadvertit ſuprema Aquitanorum curia, quæ puellas in lecti ſocietatem pretio adſcitas macie conficeret. Sed quid plura? * Ab ægris in ſanos commeant quidem morbi fortuitâ exitialis materiæ per aërem tranſvectione. Hîc verò, non fortuna, non caſus culpandus: conſtanti de cauſâ ſenile corpus junioris ſuccos ad ſe rapit, & iſtud vel morbo hac ipſâ ratione illato, vel ſubductâ tantùm ſanitate interficit.

* Noſtram propoſitionem confirmat Hiſtoria puellæ cujuſdam quindecim annos natæ, quæ paupertatis cauſâ cum matre decumbens, tumore œdematoſo & partis ſtupore tentata fuit, quo latere matrem reſpiciebat. Lecti ſocietatem diſſuaſit Clariſſ. hujuſce Facultatis Doctor M. Chomel, & convenientibus remediis ægrotantem ſanavit. Sed duobus elapſis annis, cum matre iterum decumbens puella, iiſdem iterùm tentata fuit ſymptomatibus.

V.

ATQUE in auræ vitalis exiſtentiam aut uſum fruſtra quis inſurgeret. Eam omnes agnoſcunt in ſemine, cujus fœcunditas amittitur in ſenibus quod ex iis auræ vitalis maxima pars avolarit. Quod autem eam à materiâ ſubtili vix diſtinguimus, cauſa quoque in promptu eſt. Præſtantiſſimi illius liquoris, quo vita tota continetur, tenuitas, celeritas, motus continuus, nonnullaque alia indolem materiæ ſubtilis præ ſe ferunt, ſin minùs nativæ, ſaltem leviſſimè immutatæ: quibus etiam accidit, quod materia ſubtilis ſubitâ *electriſatione* vibrata, corpus hominis obvium vividè percellat; & ſui, ſuccique nervini demonſtret ſimilitudinem. Atque etiam hæc ſimilitudo eò certior videtur, quòd in animalium generatione fiat quædam corporum *electriſatio*, quâ aura vitalis ſuis excita ſedibus violenter abripitur, ut mixti ſeminis utriuſque compoſitionem informet, novumque inde exſuſcitet animal. At iſta, cæteraque alia pendent à fibrarum ſenſibilitate. Huic ſententiæ non repugnamus; nam hæc ſenſibilitas nihil aliud eſſe poteſt, quàm mutato nomine, ipſa eademque affinitas, quâ committuntur inter ſe non ſolùm aura vitalis & craſſior materia, ſed etiam omnes ſingulæ partes organicæ, quæ ex earum conjunctione exurgunt; nam affinitas illarum partium in eo poſita intelligitur, quod facilè inter ſe coëant & recedant invitæ: ſenſibilitas autem in eo, quod quidquid huic conjunctioni favet, avidè illud expetant, quidquid nocet, celeriter repellant. Undè patet affinitatem & ſenſibilitatem eundem prorſus effectum eſſe, ſub diverſo reſpectu conſideratum. At ſaltem, inquiet fortaſſe aliquis, quoniam aura vitalis parùm differt à materiâ ſubtili circumquaque diffuſâ, cur non eâdem proportione augetur in corpore, quâ materia craſſior? Principia productionis ſeu cauſas rerum, cur ita ſe habeant, enodare noſtrum non eſt. Oſtendiſſe ſufficiat vitam imprimis pendere à materiâ quâdam tenui, quam auram vitalem dixêre, & eam materiam in junioribus animantibus copioſiſſimam, in ſenioribus perpaucam, in hæc ab illis accerſi poſſe, ut concludamus.

Ergò Junioribus, ex Seniorum cohabitatione, *detrimentum*.

Proponebat Pariſiis JOANNES-NICOLAUS MILLIN DE LA COURVEAULT, Nivernenſis, Doctor Medicus Remenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Author,
A. R. S. H. 1753, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1753.